



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimæ Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726**

**VD18 80217915**

Consultatio XXVII. Pondus ignis: ubi agitur de Mysterio Assumptionis  
sanctissimæ Virginis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45581**

ego sum, illic sit & Minister meus; nihil magis æquum, nec magis congruum est bonitati talis Domini, & fidelitati ejusmodi ministri. Et sanè, cum hæc gratia concessa sit pluribus Sanctis, esse corpore & animâ in cælis, uti sunt illi, qui resurrexerunt eo tempore, quo JESUS Christus moriebatur in Cruce, ita referente Sancto Evangelio, quo privilegio (sicut creditur) etiam Sanctus Joseph stuitur; quanto magis credibile est, Sanctissimam Virginem post obitum suum illo potitam esse? Nihil ma-

gis conforme est amori talis Filij, nil magis conveniens talis Matris dignitati, ita est, ipsa secuta est illum Corpore & Animâ in cælum; Non amplius quærenda est nobis in terris, nec deinceps loquendum de illâ velut in terris existente; sequamur ergò ipsam in cælum. Sic residuæ omnes Consultationes non erunt, nisi de ipsius Assumptione, de gloriâ ipsius Animæ, ipsiusque Corporis, de ipsius Coronis, & de supremâ, quàm exercet in Cælo Empyreo, potestate.

\* \*

## CONSULTATIO XXVII.

*Pondus Ignis, ubi agitur de mysterio Assumptionis Sanctissimæ Virginis.*



Unquam non audi-  
vi Ecclesiam, quæ  
gubernatur à dire-  
ctione Spiritûs San-  
cti, ita bene ac-  
commodasse Evan-  
gelia omnibus Festis, quæ per an-  
ni totius decursum celebrantur, ut  
nihil sit convenientius. Nihilô-  
minus cum in præcipuâ Festivitate  
Sanctissimæ Virginis, quæ est ipsius  
Assumptionis, assisterem nuper sa-  
cificio Missæ, cantati Evangelium  
audiui, quòd nec verbò ipsius  
mentionem facit, quòdque judicio  
meo, nihil habet conformitatis

cum mysterio, quòd die illo cele-  
bratur.

Desumptum id est ex decimo  
Capite Evangelij Sancti Lucæ, ubi  
is recenset historiam Visitationis,  
quâ JESUS Christus honoravit  
Martham & Magdalenam in ipsa-  
rum Castello in Bethaniâ. Tenor  
illius hic erat: *In illo tempore in-  
traivit in quoddam Castellum, &  
mulier quædam Martha nomine ex-  
cepit illum in domum suam; Et huius  
erat soror nomine Maria, quæ e-  
tiam sedens secus pedes Domini,  
audiebat verbum illius: Martha  
autem satagebat circa frequens mi-  
nisse.*

Cur Ecclesia  
ponat hoc  
Evangelium  
in Festo As-  
sumptionis,  
cum ali-  
hil de Festo  
loquatur.

Luc. 10.

Nihil  
bene  
mit  
rim  
sump  
sancti  
Virgi  
quam

nisterium, qua stetit, & ait: Domine non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima; porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, qua non auferetur ab ea.

Sed quæ conformitas hujus historiae cum Festo Assumptionis Virginis Sanctissimæ, de quâ nec verbulô fit mentio? Credebam quidem, absconditum latere hic quoddam mysterium, sed illius non capiebam sensum, cûmque ponderandô evolvere hujus ænigmata contenderem, hæc mecum involvebant confusione animum, nec mihi quidquam conferrebant luminis, quo illustratus me molestiâ liberarem: quod ut assequer, credidi, me melius non facturum, quàm si implorarem opem Evangelium cantantis Diaconi. Hic erat Thrasilus acerrimi vir ingenij, qui que tum pietate, tum doctrinâ suâ, dignissimum se reddiderat hoc, quod in Ecclesiâ exercebat, ministerio: Accessi igitur à Misâ ipsam, measque ipsi proposui difficultates.

Respondit mihi, verum est, quod specie tenus non habeat multum conformitatis hoc Evangelium cum Festo Assumptionis Sanctissimæ Virginis: Si enim non nisi sensus literalis verborum atten-

datur, non loquuntur hæc de illâ; sed si mysticus perpendatur eorum sensus, qui verus est, quemque sub his velaminibus abscondere nobis voluit Spiritus Sanctus, affirmari debet, nihil esse convenientius, totamque hanc narrationem (volo dicere, omnia hujus Evangelii verba) esse admirabilem quandam declarationem, excellentiarum, magnificentiarum & gloriæ Augustissimæ hujus cælorum Reginae in triumpho Assumptionis ipsius: Hoc me paulisper sublevabat, multumque consolabatur; siquidem ominabar è primis hisce verbis, jucundam lucem allaturum ipsum meis tenebris, mihi que doctrinam ipsius profuturam plurimum: nec me fecellit opinio; mox enim ab initio brevem hanc, sed pulchram & sublimem verborum Evangelij contulit intelligentiam, ubi paulisper jam aspicere incepti incomparabiles magnificentias Sanctissimæ Virginis in mysterio Assumptionis ipsius.

Nonne vides, inquit mihi, quod, si attentè considerentur omnia verba hujus Evangelij, nec unicum eorum sit futurum, quod plenum non sit, nescio, quo lumine, quod ostendat animo prodigia, quæ summam in admirationem abripiant ipsum; & quando simul conjungantur, illa pulcherrimum exhibitura sint spectaculum omnium magnificentiarum Mysterij Assumptionis Admirabilis hujus

R r r r ; Matris

Evangelij  
de Martha  
& Magda-  
lenâ.

Expositio  
brevis est  
pulchra  
verborum  
Evangelij.

lit. 10.

celesta  
hoc  
reliu  
to Al-  
io-  
na al-  
celto  
tur.

Nihil tam  
bone expri-  
mit Myste-  
rium Assump-  
tionis  
Sanctissimæ  
Virginis,  
quàm

10.

Marris, quæ intuentem summo replebunt gaudio.

1. Siquidem in primis, si quaestio est de gloria Animæ ipsius, quam plures Sancti Patres nuncuparunt immensam, mirificè hæc exprimitur per primum hujus Evangelij verbum: *Intravit*; JESUS intravit. Alij Sancti intrant in gaudium Domini, eòquòd minores sint illo, sed totum gaudium, & tota gloria JESU Christi intrat in MARIAM, eòquòd ipsa includat illum totum immensum, sicut est, in terris, in castissimo utero suo; & hoc magno argumento est, quod in cælo includat totam ipsius gloriam in Animâ suâ.

2. Si quaestio est de gloriâ Virginei ipsius Corporis, quod cum totum refulgeat super abundantiam gloriâ ipsius Animæ, fuit receptum in cælos cum illâ; & hoc declaratur sequentibus verbis: *In quodam castello*; Corpus ipsius erat castellum Animæ ipsius; & hoc castellum recepit JESUM Christum in Visitatione, quam nobis impendit, dum in terras descendit.

3. Si considerare quis velit Majestatem Throni, quem possidet, cujus pulchritudo consentanea est dignitati Marris Dei, id designatur per verba sequentia: *Mulier quaedam excepit illum in Domum suam*. Nihil tam magnum est in Sanctissimâ Virgine, quam extitisse palatium Majestatis infinitæ Dei.

4. Si quis nôsse desideret, quanam sit ipsius potestas in Throno suo, & quale dominium exerceat ubique in cælo & in terrâ, in Purgatorio, & in ipso inferno, id significatur per magnificè & Augustissimum Nomen *MARIA*, cujus in eodem Evangelio fit mentio, quòdque significat Dominantem vel Dominam: *Hæc erat soror Nominis MARIA*.

5. Si videre quis ayeat, quonam totum cælum ipsi impendat honores (tota inquam, Curia cælestis, non solum Angeli & Sancti, sed ipsemet Deus) id mysterij absconditur, sub alijs hisce verbis: *Sedens secus pedes Domini audiebat Verbum illius*.

6. Si aspicere quis velit magnificentiam ipsius, quâ cuncta & omnis generis bona effundit in miseros peccatores, per potentissimam Intercessionem suam, id per sequentia declaratur verba: *Dic illi ut me adjuvet*,

7. Si considerare velis Coronas & Sceptra, supræmæ hujus Imperatricis omnium Creaturarum, quòdque Regnum ipsius futurum sit æternum, illamque participaturam, ex omnibus magnificentijs Dei, exprimi id melius non potest, quàm per sequentia verba: *MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ*.

Verum est, brevem hanc Evangelij interpretationem haud levè affecisse me admiratione, meòsque

que perstrinxisse oculos, non quod multum adhuc attulerit luminis meo animo, sed quod ingens in corde meo accenderit desiderium paulisper fufius & penitius aspiciendi illam: Hanc ob rem rogavi Thrafitum, ut tantum sibi vellent sumere laboris & integrum mihi struere convivium ex opiparis dapibus, quarum mihi jam dederat prægustum: annuit is votis meis; unde simul plures institumus Consultationes circa omnia

prodigia, quorum rudem tantum mihi fecerat delineationem, quin adhuc eorum mihi ostenderet pulchritudinem: tanta igitur erga me obsequiositatis, fuit & benevolentiz, ut informare me non disiret, quoad plenam habuerim satisfactionem in ijs omnibus, quæ nõse desiderabam circa Assumptionem Sanctissimæ Virginis: & ecce quomodo incepti-

rimus!

\* \*

## ARGUMENTUM.

*Magnificentia gloria, quantum spectat ad Animam Sanctissimæ Virginis.*

### ARTICULUS I.

**I**nterrogavi mox ipsum ab initio; quomodo vides magnificentiam gloriæ Virginis Sanctissimæ in primo hæc Evangelij verbo: *Intravit JESUS?* Non video id ullâ ratione loqui de ipsius gloriâ.

Nõne probè advertis, respondit mihi, quod Evangelium non loquatur de Sanctissimâ Virgine, sicut loquitur de alijs Sanctis? Quando de alijs Sanctis loquitur, dicit: *Intra in gaudium Domini tui,* & quando Deus admittit illos in possessionem gloriæ suæ, ait ad illos: *veni serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Sed Evangelium aliâ ratione loquitur de Sanctissimâ Virgine, dum ait:

Intravit JESUS; & Deus aliâ etiã omninõ ratione, loquitur illi, quàm Sanctis, dum inquit ad illam: *Veni Mater mea, & tota gloria mea intret in te;* magna est differentia inter duo hæc verba: *Intra & intravit;* intra in gloriam meam, & gloria mea intret in te.

Siquidem, uti egregiè loquitur Sanctus Thomas, necessarium est, ut omnes Beati intrent in gaudium Domini, & gaudium Domini non intret in ipsos: Ratio hujus omninõ manifesta est: gaudium, quo fruimur ex possessione rerum, quæ minores sunt corde nostro, bene intrare potest in cor nostrum; sed quia Deus, qui bonum infinitum est, infinitâ ratione est major corde

D. Thom;  
in c. 25.  
Matth.

Matth. 21.  
v. 23.

de hominis, ideo gaudiam, quod nobis oritur ex possessione Dei, intrare non potest in cor nostrum, sed cor nostrum intrat in illud: *Deus major est corde nostro, & ideo, qui gaudet de Deo, intrat in gaudium.* Nam sicut sponsa intrat in mare potius, quam mare intret in spongiam, & licet ab eo tota penetratur, nihilominus non continet mare, id est, non includit illud, sed potius continetur & includitur in maximâ elementi hujus vastitate: ita quamvis Beati toti penetrantur à gaudio Dei, ipsi tamen non includunt propterea illud, sed ipsi includuntur in infinito gaudio Domini sui, quod majus longè est animabus ipsorum; hinc est, quod dicatur ipsis omnibus: *Intra in gaudium Domini tui.*

Anima  
sanctorum  
intra in  
gaudium  
Dei sicut  
spongia in  
mare.

Omnia gloria Paradiso est ratione quâdam inclusa in sanctissimâ Virgine. Sed quantum prodigium est hic? quod ad exprimendum gloriam Sanctissimæ Virginis non dicatur: intrasse ipsam in gaudium Domini, sed certa adhibeantur verba, quæ innuere videntur, quod omne & totum gaudium beatitudinis intraverit in illam: *Intrauit JESUS*: quasi gloria ipsius ejusdem esset ordinis, cujus est gloria Dei, quæ tota inclusa est in ipso, quamque Theologi nuncupant *comprehensivam*, eoque comprehendat & perfectè includat omnem immensitatem divinam: Sic Mater hæc Admirabilis jam experimento edocta, quod includere in se possit omnem Magnitudinem

Dei ex privilegio divinæ Maternitatis suæ, vi cujus portavit in utero suo ipsum, quem cæli cælestium capere non possunt, uti canit Ecclesia, includere sola in se potuit totam immensitatem gloriæ Paradisi.

Non quod gloria Sanctissimæ Virginis adæquet reipsâ infinitatem gloriæ Dei: *Quis enim est ut Deus?* sed Evangelium ita loquitur, ad insinuandum nobis, quod gloria Sanctissimæ Virginis ad sublimem ad eum attollatur verticem, ut omnes nostras transcendat cogitationes, ut excedat gloriam omnium Angelorum, omniumque Sanctorum in cælo; & ut ita loquar immensitatis cujusdam speciei, quæ propriissimè convenit gloriæ, quam Sanctissima possidet Virgo, appropinquet & accedat, quantum possibile est puræ creaturæ, ad gloriam ipsam Creatoris. Ecce mysterium hæc involutum verbis: *Intrauit JESUS.*

Non adæquet ipse quidem gloriam Dei infinitam, stupenda tamen est magnitudo ipsius.

Fateor, dicebam ipsi, id mihi mox ab initio magnum lumen attulit circa ipsius gloriam; sed metuo, ne illud perdam, idque illic meo dilabatur animo, nisi firmentur quibusdam rationibus, quæ illud stabiliant ac confirmant. Atferam tibi, respondit mihi Thrasilus, rationes tam luculentas, ut recepturus sis illas promptissimè, nec obliturus illarum tam facilè.

Considera, quod gloria æterna (quæ æqualis non est in omnibus

Sap.

Sanctis) mensuretur tribus, juxta communem doctrinam Theologorum: Primum est gratia, secundum sunt merita, tertium est amor Dei; Ecce rationem hujus, quam afferunt. Affirmant illam dari, vel ut hæreditatem Filiorum DEI, vel ut remunerationem servorum Dei; vel ut finem ultimum amicorum Dei: Velut hæreditas mensuratur per gratiam, quæ nos adoptat in filios Dei; velut remuneratio mensuratur per merita, quæ

dignos nos reddunt ad recipiendum pretiosam mercedem istam; velut finis ultimus mensuratur per amorem qui est pondus, quod tendere nos facit ad illam, velut ad centrum quietis nostræ æternæ: apprehende tres hæc mensuras, gratiam, merita, amorem, & vide, an assequi possis per illas cognitionem, quanta sit magnitudo gloriæ Virginis Sanctissimæ.

\* \* \*

## ARGUMENTUM.

*Prima mensura gloriæ, quam Sanctissima Virgo possidet in cælo, est gratia, quam habuit in terris.*

### ARTICULUS II.

Rom. 6.

**C**um gloria non sit nisi gratia consummata, sicut gratia est gloria incepta, certum est, quod quilibet Beatorum recipiat in cælo gloriam juxta mensuram gratiarum quas habuerit in terris. Jam universim agnoscimus nonnisi tres gratiarum species. Prima est gratia innocentia; Secunda est gratia Redemptionis, tertia est gratia, quæ nuncupari potest divina, vel DEVS ipse; & omnes tres recepit Sanctissima Virgo in omni sua abundantia.

Prima est gratia status innocentia, quæ DEVS replevit Proto- parentem nostrum Adam, quando formavit ipsum ab initio, velut perfectissimum opus manuum sua-

R. P. Isaac, Consultat. Tom. III.

rum. Dederat is ipsi ab initio gratiam quandam supernaturalem tam copiosam, tamque abundantem, ut haberet, unde eadem repletet omnes suos posteros, faciens ipsos nasci suos filios, nasci quoque fecisset filios Dei; sic omnes Sancti fuissent, antequam ratione præditi, sicque ratione quâdam capientes possessionem cæli, antequam solum suis attigissent pedibus terram. O Beatam conditionem hominum, si ipsorum Proto- parens firmus stetit in hoc statu gratia, nimirum innocentia suæ? Poterant de ipso dici hæc verba Ecclesiastici: *Vos admirabile, opus ex cæli.* Sed cheu fragilis erat, cumque ad nostram infelicitatem sub-

SSSS

lacua

Omnes filij Adam habent causam plorandi in natiuitate.

latus esset in sublime, cecidit, & contritus est. Et sicut dicit sanctus Augustinus, replevit totum uniuersum ruinæ suæ fragmentis, perditusque totus fuit tum pro se tum pro nobis. O deplorandam ruinam? Quantus dolor, quod omnes hæc infinitæ gratiæ statûs innocentia, omnésque coronæ gloriæ, quæ illarum fuissent fructus, fuerint deperditæ unico duntaxat peccato. Plorate filij Adam, plorate inconsolabiliter omnes usque in finem sæculorum. O quanta vobis omnibus est ansa, nascendi plorando, uti facitis, & intrandi in mundum lacrymantibus oculis?

Sed itane, interrogavi ipsum, totus afflictus: An omnes hæc gratiæ statûs innocentia, deperditæ sunt absque damni faciendi remedio? Et omnis gloria, quæ exin redundasset in DEVM, remanet suppressa penitus? An igitur hæc omnia perire in perpetuum?

Non, respondit mihi: Nam si Adam deperdidit omnem gratiam felicitis hujus statûs innocentia, Sanctissima Virgo iterum inuenit illam, & recollegit totam integram in Personâ suâ. Hem, quis tibi hoc dixit? Angelus è Paradiso, qui cum missus esset à Deo ad salutandum ipsam velut Matrem suam, a vere ipsam iussit luculentissimis hisce verbis: *Ne timeas MARIA, inuenisti gratiam apud Dominum: Noli metuere MARIA, quantumvis sis Filia Adæ, qui fuit*

Gratia statûs innocentia fuit iterum inuenta & possessa à Sanctissima Virgine.

infelix aded, ut perderet gratiam innocentia, quam acceperat à Deo. Ne timeas, participaturam te ex ipsius perditione; contremiscat sceleratus hic, seque abscondat præ confusione vecordis infidelitatis suæ, sed tu ne metue, eod quod inuenis illam, illamque possideas totam integram: *Inuenisti gratiam apud Dominum: Hoc sane admirandum mihi videtur, dicebam illi, & captu admodum difficile.*

Itane me credere velles, quod omnes, eaque abundantissimæ gratiæ, quas perdidit Adam pro seipso, & totâ posteritate suâ, quando dilapsus est è statu innocentia, receptæ iterum sint, absque ullâ illarum jaçurâ, à solâ Sanctissima Virgine? Hem, quam difficultatem inuenis in hoc, reposuit mihi, si memineris quæstionem esse de Matre Dei, quæ sola majoris est, quàm Adam, & omnis ipsius posteritas. Attende solummodò jus legis humanæ, illudque interroga, quid hæc in parte æquum esse judicaret?

Propone tibi familiam compositionem è maximo numero personarum prædicitam, si contingat mori omnes, exceptâ unicâ remanente in vitâ, nonne æquum est, ut ipsa adeat hæreditatem rerum omnium, quæ mortuæ sunt, & sola intret in possessionem omnium bonorum familiarum? Imò præcul dubio. Jam ecce quid accidit in magnâ familiâ Adæ? Ipse erat ditissimus,

mus,



mus; & omnes ipsius filij similiter; sed mortuus est ipse, & omnes ipsius filij mortui sunt cum ipso, per solum ipsius peccatum; non nisi unica & sola Sanctissima Virgo remansit in vitâ, eoque illa nunquam participaverit e peccato ipsius; æquissimum igitur est, ut ipsa universalem agat hæredem

bonorum totius familiæ. O quàm locuples ipsa est igitur ex hac parte? O DEUS? Quis dinumerare possit omnem abundantiam bonorum ipsius? Et tamen non nisi adhuc tertia pars est illarum, quas possidet, gratiarum; aliarum duarum genera adhuc latius se se diffundunt.

## §. I.

*Gratia Redemptionis replebat animam  
Sanctissimæ Virginis.*

**A**Lia quædam gratia replebat ipsius animam, quæ erat adhuc abundantior & nobilior absque comparatione, quàm fuerat gratia Adæ: Hæc erat gratia JESU Christi, quæ appellari debet gratia Redemptionis; hæc data non fuit Virgini Sanctissimæ velut supplementum gratiæ innocentæ, eoque hæc habuerit, sed velut ejusdem augmentum, velutque novus thesaurus gratiæ pretiosioris & diviniore; & ideo idem Angelus, qui salutaverat jam ipsam gratiâ plenam, assecurando illam, quod plena esset ex eo, quod invenerat: *Ave gratiâ plena, invenisti gratiam;* post hæc illi loquitur de alia quædam novarum super abundantia gratiarum, quas Spiritus Sanctus illi daturus erat. Hem, quæ esse potest hæc gratia, quæ supposebat jam in ipsâ illam innocentæ, nisi gratia Redemptoris? Spiritus Sanctus superveniet in te.

Videtur habuisse ipsa jus omnino particulare ad possessionem totius hujus gratiæ, eoque ipsa sit Mater Auctoris omnium gratiarum Redemptionis. Ad quem pertinent fructus, nisi ad ipsum, ad quem pertinet arbor producens illos? Ad quem igitur melius pertinent omnes gratiæ Redemptionis nisi ad Sanctissimam Virginem? Nonne est illi jus quoddam naturale in filium suum Unigenitum JESUM Christum, qui illas pro-gignit omnes, velut fructus Incarnationis suæ? Alij participare ex ijs possunt, juxta quod placuerit misericordiæ DEI ipsius dare plus vel minus; sed Sanctissima Virgo jus habet illas exoptulandi omnes veluti ad se pertinentes; Et ideo Sanctus Hieronymus hæc super re exarata reliquit memoranda hæc verba: *Cæteris per partes prestatur, in MARIAM vero totius gratia,*

Omnes gratiæ Redemptionis spectant ad Sanctissimam Virginem,

S. Hieronymus ser. de Adam,

tie, qua in Christo est, plenitudo venit.

Quam ingens est Oceanus gratiarum Redemptionis, quæ ubi vis & semper dimanarunt in omnes filios Adæ, quæ sanctificarunt tot peccatores, quæ produxerunt omni loco & omni tempore miliones Sanctorum & Sanctarum, quæque nondum cessant replere indes cælum & terram miraculosis prorsus fructibus Redemptionis? Et dicere, quod omnes gratiæ, quarum plenitudo integra est in Redemptore, sint etiam in sanctissima Virgine absque divisione. O Deus! quanta abundantia divitiarum! quantum miraculum! quantum prodigium gratiarum in sanctissima Virgine!

Eja quæso, dicebam ipsi, cave sis, ne loquaris nimium; videris nimium mihi dicere, dum inquis, quod tota plenitudo gratiarum Redemptionis, quæ est in JESU Christo, sit etiam in Sanctissima Virgine: an nullam inter ipsos statuis inæqualitatem? an nullam inter ipsos observas differentiam? an efficere vis Matrem ex integro æqualem Filio suo in gratia? Metuendum est, ne Criticorum nonnullis sis scandalo, dum ita te audiunt loquentem; siquidem idem fermè est, ipsam esse Deum, sicut ipse est Filius.

Differentia inter plenitudinē gratiarum JE-

Non, respondit mihi sapientissimè Thrasilus, non metuo, me excessurum, dum loquor cum San-

cto Hieronymo; ille non statuit inæqualitatem inter abundantiam gratiarum, quas habent; siquidem ipse non errat dicendo, illas esse omnes in uno, & omnes esse in altera; bene tamen observat differentiam in modo possidendi illas; hinc quando hanc profert sententiam. In MARIAM totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, mox adjungit hæc verba necessaria: *quanquam aliter*, id est, aliâ ratione; In quo autem consistit hæc alia ratio? interrogavi ipsum, observans bene, quid dicturus erat: Respondit mihi Thrasilus; Consistit in hoc, quod hæc gratia sit in Filio tanquam in principio illum producente; Et non sit in Matre, nisi tanquam in digno subjecto, gratiam Filij sui recipiente: Filius gratiæ illius est Dominus, Mater fidelis illius est depositaria: Filius possidet illam velut proprium suum bonum, quod impertitur miseris ex misericordiâ, prout illi placuerit, & quando illi placuerit: Mater non habet illam in potestate suâ, nisi tanquam thesaurum Filij sui, in quem ob amorem ipsius erga se, Matrisque Dei dignitatem tantam habet auctoritatem, ut dispertiat illas, quibus vult, quando vult, & quantum vult: Hæc sunt verba Sancti Bernardini Senensis in sermone de Nativitate Virginis, ubi apertè dicit: *Virtutes & gratia Spiritûs Sancti, quibus vult, quando vult, & quantum vult,* per

su Christi & Sanctissimæ Virginalis.

Thrasilus dicit e  
lius u  
Dicitur  
per an  
& nos  
grati  
& Filij  
Sancti  
Virgini  
grati  
non p  
Quam

s. Bernard.  
serm. de  
Nativ. B.V.

Alber  
Mari  
cap. 2.

per manus ipsius administrantur.

Quid adjici possit ad hoc, ut ostendatur magnitudo gratiarum ipsius, quæ vera sunt mensura gloriæ ipsius; omnes nimirum gratiæ status innocentie perditæ ab Adamo, & inventa à MARIA; omnes gratiæ status Redemptionis productæ à JESU Christo, & receptæ velut sacrum Depositum à divinâ ipsius Matre. Nonne hæc

omnia sunt, quæ dici possunt? Non, non solum duo hæc sunt tituli divitiarum thesauri ipsius, restat tertius, qui solus majoris est duobus cæteris. Hem, qualis est, iste, interrogavi ipsum? Est gratia divina, respondit mihi Thrasylus, id est, Deus ipse: Bene intende animum considerationi hujus prodigij.

\* \*

## §. II.

*Gratia divina MARIAE est DEUS ipse.*

Quod est natura, non est gratia, & quod est gratia, non est natura: Filius Dei non est gratia respectu Patris hic æterni, sed est natura, eod quod producat is ipsum naturaliter: Sed idem Filius unicus est gratia respectu sanctissimæ Matris suæ, eod quod, quamvis hæc ipsum producat naturaliter ex propria suâ substantiâ, ex naturâ tamen non fit, quod existat ipsius Mater; hoc enim est ex gratiâ: poterat ipsa esse Mater Filij ex naturâ, sed non est Mater Filij Dei, nisi ex gratiâ: non est ex naturâ, quod sit Mater Virgo; non est ex naturâ, quod conceperit ipsum de Spiritu Sancto, est ex gratiâ; non est ex naturâ, quod pepererit ipsum absque dolore, est ex gratiâ.

Albertus Magnus in hæc Evangelij verba: *Invenisti gratiam apud Dominum*, abreptus est à zelo pic-

catissimæ, ut diceret: *Invenisti gratiam increatam*: Omnes alie gratiæ sunt creatæ; nunquam fuit gratia increata nisi solus Filius Dei; ipse etiam non est gratia nisi pro te solâ, ô sanctissima Virgo, eod quod datus sit tibi gratuitò, ut esset Filius tuus naturalis; siquidem Filius naturalis Dei Patris, est etiam Filius tuus naturalis; sed est per naturam, in quantum homo, & est per gratiam, in quantum Deus, & incomprehensibili cum prodigio Filius tuus per naturam, est etiam Filius tuus per gratiam: In hoc, quod sit Filius tuus per naturam, habes ipsum communem cum Patre æterno; sed quod sit etiam Filius per gratiam, habes hoc particulare, quod non habeat Patrem æternum; siquidem id gratia tua est, & non ipsius, non est imperfectio in ipso, sed est magna perfectio in te: O prodigium! O miraculum! Id

S s s s ;

quod

Christi  
sanctissimæ  
Virginis

Vultus Christi  
est Filius  
unicus  
Patris sui  
per naturâ  
& non per  
gratiam:  
& Filius est  
sanctissimæ  
Virginis per  
gratiam, &  
non per na-  
turam.

ernard.  
inf.  
de  
iv. B. V.

Albertus in  
Mariæ.  
cap. 257.

Pulchra do-  
ctrina B. Al-  
berti Magni

quod natura est Patri æterno, voluit fieri gratia, ut daret se tibi & esset mensura gloriæ tuæ; Pater est infinita ratione Sanctus per naturam, & MARIA redditur quodammodo infinita ratione magna & sancta per privilegium: hoc sanè supremum gratiarum ipsius est fastigium.

Huc igitur statuendæ sunt columnæ Herculis, & dicendum: *Non plus ultra*: siquidem si confiderentur omnes tres gratiarum ordines; gratia status innocentie;

gratia Redemptionis; & gratia in creatâ, quæ est ipse Deus; omnes tres Unitas invenire est in sanctissima Virgine. Quid igitur faciendum restat, nisi ut posito velut certo fundamento, quod gratia, quàm ipsa recepit in terris, sit mensura gloriæ, quàm possidet in cælis, manibus modò attripias hanc mensuram, ut experiaris, an cognoscere per illam possis omnem illarum magnitudinem; an facere id potes? tanta, & dic tecum ipse.

## §. III.

 *Applicatio hujus mensuræ.*

**Omnis gratia & omnis gloriæ status innocentie est in sanctissima Virgine.** Cum verum sit, accepisse ipsam in terris omnem abundantiam gratiarum, status innocentie, quæ distributæ Adam & omnibus filiis ejus, fuissent ex eis totidem Sanctos, quorum quilibet possidisset suum gradum gloriæ in æternitate: Cum omnia, quæ perditæ fuerant in Adam, inventa iterum sint à Sanctissima Virgine, & omnia in ipsius recolligantur personâ; sequitur ergo ipsam solam possidere omnem gloriam, quàm ipsi recepissent à Deo, si suam conservassent gratiam: Hæc, quousque excreverunt hæc? Considera bene, omnia successivè supputa, pondera rem probe in totâ suâ latitudine, in suâ duratione, in suâ magnitudine, & vide, an comprehendere possis ip-

sam: Sed integrum sæculum hæc non sufficeret: & postquam unicâ duntaxat horâ id ponderaveris, mens tua fatigabitur, confunderetur, obruetur: Opprimetur à gloriâ; fitebitur à magnitudine hujus gloriæ, se obrui & annihilari. Ira, fiteberis impotentiam tuam: Non nisi vastam hæc video amplitudinem, quod meus non peringeret animus, ad concipiendam omnem gloriæ Sanctissimæ Virginis magnificentiam; nunquam hæc ratio comprehensus sum ipsam.

Iterum incipe secundum facere periculum, & denuò tecum dic ipse: Gratia sanctissimæ Virginis est mensura ipsius gloriæ; Cum ergo ipsa locupletata sit in terris omni thesauro gratiarum Redemptionis, Virgine, &

Et omnis plenitudo, quæ erat in Redemptore, etiam fuerit in divina ipsius Matre, deducitur clarè, quòd omnis gloria, quæ respondet huic gratiæ, sit etiam unita in personâ ipsius, ad coronandum ipsam in cælis: certum est enim, gratiam esse mensuram gloriæ: Quousque hæc quoque excreverit, si illa sigillatam velis enumerare? an putas, si exactè & ad amissim dimetiaris, te illa comprehensurum? Quid est hoc, nisi videre omnes portiones gloriæ, innumerabilis & velut infinitæ hujus multitudinis Sanctorum in cælo & in terrâ, conjungi & uniri inter se, ad constituendam nonnisi unicam coronam gloriæ pro ipsâ solâ? Pondera id seridè, & contende ut comprehendas; antequam quartam solummodò horæ partem in laboriosa hæc consideratione exegeris, animus tuus se totum videbit absorptum, totum stupidum, & in admirationem abreptum, ubi nil cogitare amplius, nec dicere poterit, nisi: O gloria MARIÆ quàm es admirabilis! O gloria Matris Dei, quàm es incomprehensibilis!

Intellectus tuus naturalis, cum assuetus sit judicare res modò suo humano, judicabit forsitan impossibile, tantas magnificentias unitas esse in unicâ solâ creaturâ; sed tene & crede illud per hanc veritatem fidei, quòd quæstio hæc sit de Matre Dei, quòdque, cum Deus Patet æqualiter ipsi communicaverit

fecunditatem suam divinam, nihil tam magni cogitari possit, quia Deus majora & plura adhuc ipsi sit impertitus.

Sed quid tandem hoc erit, si Deus vult, ut infinita sua magnitudo mensura esset gloriæ Sanctissimæ Virginis, adnitariis terribè dimetiri magnitudinem ipsius gloriæ, per ultimum fastigium ipsius gratiæ, quæ est gratia divina? Gratia, quæ tam specialis est ipsi, ut nemo alius unquam quàm ipsa, factus fuerit particeps illius; Gratia quæ in tantum sublimata est super omnes alias, ut omni careat mensurâ! Quid hoc erit, si adhuc applices hanc regulam, dicasque tecum ipse: Gratia sanctissimæ Virginis est mensura ipsius gloriæ; Jam hæc mensura est Deus ipse, vel saltem divina ipsius Maternitas: siquidem Filius ipsius Unigenitus, & ipsius Deus, qui natura est respectu Patris sui, est gratia pro illâ. Quousque tandem hoc excreverit? quid cogitabis? quidque dices? O Deus! claude oculos, suspende omnes cogitationes tuas, supprime omnia tua verba, altum tene silentium, & in abyssu tui nihili absconde te; admire, revere, adora id, quòd nec tu, nec ullus creatus intellectus potest comprehendere.

Nihilominus, ne statuas tuo intellectui, ut refragetur magnis hisce veritatibus; cave, ne credas difficulter illas, eò quòd nimium nostrum excedant captum; sed potius tene, ipsistantè magis esse veras, quantò magis sunt incomprehen-

luit, ut infinita sua magnitudo mensura esset gloriæ Sanctissimæ Virginis.

Non consulendus est intellectus naturalis in his, quæ Deum, vel Sanctissimam

ipſius Ma-  
trem con-  
cernunt.

prehensibiles: Omnia, quæ con-  
cernunt Majestatem Dei, & digni-  
tatem Matris, ipſius, tam magna  
sunt, ut, quidquid concipere pos-  
sumus, non accedat ad ea: hinc  
pro eo, ut cogitemus vel dicamus;  
Id comprehendendo, dicamus auda-  
cter: Non comprehendo; eas hæc  
est, quæ omne transcendit id, quod  
noſter capit intellectus. Sed de-

fectus hic est, cui nunquam non su-  
mus obnoxij, quod judicemus res  
Dei juxta modum nostrum. Et ideo  
non nisi abjectè semper cogitamus  
& loquimur de illius, & nisi intel-  
lectus noſter naturalis elevetur per  
fidem, aliter facere non possumus.  
Ecce primam mensuram gloriæ  
Sanctissimæ Virginis, quæ est ip-  
sius gratia. Jam videtur secundam.

## ARGUMENTUM.

*Secunda mensura gloriæ, quam Sanctissima Virgo  
possidet in cælo, sunt ipsius merita.*

### ARTICULUS III.

D. Thom.  
II. P. 2. q. 95.  
a. 4.

**A**D cognoscendum magnitudi-  
nem alicujus Remunera-  
tionis, cognoscenda est  
magnitudo meriti; si enim hæc  
datur juxta regulas justitiæ, par-  
esse debet merito; Et ad cogno-  
scendum magnitudinem meriti,  
Sanctus Thomas hanc affert regu-  
lã: *Quantitas meriti ex duobus  
potest pensari, uno modo ex radi-  
ce charitatis, alio modo ex clari-  
tate operis.* Vult dicere, ad judi-  
candam de magnitudine meriti,  
potissimum attendi debent duo;  
primum, dignitas personæ, quæ  
agit; secundum, excellentia ope-  
ris, quod facit.

Dignitas  
personæ est  
mensura ip-  
sius meriti.

Si attendas ex unâ parte digni-  
tatem personæ, quæ agit, est Mâ-  
ter DEI; & quid dicere te putas,  
dum dicis Mater DEI? An nôsti,  
quantum sit ipsius meritum? Est

persona dignissima post tres divi-  
nas personas. An nôsti, quantum  
sit meritum personæ JESU Chri-  
sti? Est ejusmodi, ut omnes Do-  
ctores Catholici unanimiter di-  
cant, ipsum meruisse infinitâ ra-  
tione in omnibus actionibus vitæ  
suz, etiam minimis; ita ut unicum  
ipſius verbum, unica ipſius cogi-  
tatio, unicus ictus oculi, unica  
respiratio, unicus passus, omnia  
denique in ipſo fuerint valoris &  
meriti infiniti; & tota hujus, quam  
afferunt, ratio est infinita dignitas  
personæ ipsius: Erat hæc nempe  
persona meriti infiniti.

Jam post primam hanc perso-  
nam, immediatè succedit persona  
Sanctissimæ Virginis: Illa quidem  
tam digna non est, neque tanti  
meriti, sicut ipse; assimilatur tamen,  
tamque propè accedit ad ipsum,  
quam

Jesus Chri-  
stus meruit  
infinitâ ra-  
tione in  
omnibus, &  
post illum  
Sanctissima

Ipsius Ma-

quantum permissum est putæ alicui creaturæ: Dicendum igitur est, replevisse ipsam maximo merito omnes actiones vitæ suæ, etiam minimas, eodquod confectæ sint à personâ dignissimâ & maximi meriti, quæ unquam fuit in mundo post JESUM Christum.

Admirabili  
radix  
meritorum  
sanctissimæ  
Virginis.

Sed ut melius cognoscatur excellentia & valor meritorum ipsius, advertet, quod Sanctus Thomas expressè dicat, radicem charitatis esse, ex quâ procedat fructus meritorum: Ex radice charitatis. Inquire radicem hanc in corde ipsius, & vide quàm ardens, quàm fecundus, quàmque fortis fuerit amor, quo exarsuabat erga Deum; unde & abundantia gratiarum ipsius excedit illam omnium Sanctorum, omniumque Beatorum Angelorum in celo. Et quia amor vehementissimus est, & maxime activas ex omnibus affectibus cordis, hinc amor ipsius semper erat in actione, & nunquam non inventus operibus maximi meriti; siquidem sive vigilans, sive dormiens, solitaria vel stipata comitibus, nullum prætermittebat diem, nec horam, nec momentum, quæ novis non replet meritis; ita ut etiam occupata somno, intenderet semper DEO; illum contempleretur, ipsùmque tam perfectè amaret, dum quieti indulgebat, ut Sanctus Bernardinus, qui dignissimè semper locutus est de ipsâ, nobis asserat, quod ipsa dormiens

R. P. Isaac Consultat. Tom. III.

excesserit in amore omnes alios Sanctos, dum vigilabant. Et hoc ipsum, nobis ipsa dicere videtur in sacro Epithalamio: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Verba Sancti Bernardini sunt: *Magis in Contemplatione DEI excessit dormiendo, quàm aliquis alius vigilando.*

Verùm non sufficit aspiciere hæc unico solo aspectu, & solùm in genere: Hæc ratione res intueri non est satis ad cognoscendum ipsarum pulchritudinem, pretium ac valorem. Ad intelligendum, quanti valeat thesaurus, oportet numerare omnes illius portiones, illasque ponderare successivè: sic ut asserere possim; Exploratum habeo valorem thesauri Sanctissimæ Virginis, oportet supputare omnes ipsius cogitationes, omnia ipsius verba, omnes cordis ipsius affectus, omnes ipsius particulares actiones, & recolligere summam cum sollicitudine, & abs eo, quod aliquid perdatur vel omittatur, velut ex parte personæ, quæ post JESUM Christum maximi in mundo sit meriti; & ut ex his omnibus accurata deducatur supputatio, oportet illa inquirere in omnibus momentis vitæ ipsius, quæ ad minus sexaginta & tres complexa est annos; & postquam ita supputatus est numerus, & sigillatim ponderatus valor omnium meritorum ipsius, conficere ex his summam totalem, & videre, quanti sit pretij totus

T t t t.

ipso.

Numerare  
& ponderare  
sigillatim omnia  
merita Sanctissimæ  
Virginis,  
est res, quæ  
videretur im-  
mensa.Ipsius Christi  
merito  
inquit rati-  
one in  
sanctibus, &  
est illum  
sanctissimamBernardini  
tom. I.  
cap. 61.

ipforum cumulus. Et hac ratione videri posset meritorum ipsius magnitudo, & inveniri gloria ipsius mensura, cum hæc sit meritorum ipsius remuneratio: Sed ò Deus, quis conficere hoc posset!

Credo, dicebam ipsi, omnes intellectus Angelorum & hominum simul id conficere non posse, nec ipsammet Sanctissimam Virginem, juxta mentem Sancti Augustini, cognoscere omnem divitiarum suarum magnitudinem; non nisi illius est, qui exhausit se, ad locupletandum illam, perfectè cognoscere, quanti valoris sint ea omnia, quæ contulit ipsi: Sed hoc me non affligit, sed potius gaudeo, me illorum laborare ignorantia; sufficit mihi solùm nòsse, quòd impossibile sit cognoscere illa; quòdque merita ipsius & præmia, gratia ipsius & gloria infinita ratione transcendant omnes cogitationes, quæ meum possent occupare animum.

Praxis &  
imitatio.

O quantum mallem ipsius investigare exercitia ad imitandum illa, quam intueri solùm ipsius excellentias, ad admirandum illas! Satis novi ex illis, si novi amare

illa, & coner participare aliquantisper ex illis: Nónne habere possum in corde meo radicem charitatis? Nónne possem colere ipsam, illamque reddere fecundam, faciens, ut omnes actiones meæ ex hoc orientur principio? Nónne possum impendere illam totam integram, temper agens penes totum fervorem amoris, quem voluerit conferre mihi DEVS? Si nunquam permisero animam meam languere in otio, sed nunquam non defixam conservem illam soli magno aternitatis suæ negotio, ubi laborandum est ipsi absque remissione: Et tandem si implere non vero omnes meos dies, omnes meas horas, omnia vitæ meæ momenta aliquo bono opere, satis ex illis novi, hocque mihi sufficit.

Verùm hoc nihil adhuc est, respondit Thrasilus, aspexisse magnitudinem meritorum ipsius, ex parte ipsius persona & ex radice charitatis: Apparet illa incomparabiliter melius ex pulchritudine & splendore ipsius operum: Ex claritate operis. Huic potissimum intendas velim mentem & animum.

§. Unicus.

*Magnitudo meritorum Sanctissimæ Virginis  
ex parte ipsius operum.*

Summum  
meritum  
Sanctissimæ  
Virginis

**N**on declarabo tibi hæc sigillatim innumeram multitudinem bonorum operum, quibus

vita Sanctissimæ Virginis tota est est, producta: quando enim hæc omnia exponerem in maximo splendore, Christum.



dore, quo possem, Eclypsarentur quantocyus & disparerent ad aspectum maximi & exquisitissimi, quod ipsa confecit, operis. Dedit ipsa nobis DEVM Hominem, hominum Salvatorem, locupletissimum thesaurum cœli & terræ, JESUM Christum, Filium suum Unigenitum. Ecce opus ipsius; relinquamus cætera omnia, & unico huic intendamus bono operi; ponderemus valorem ipsius, & videamus quanti sit pretij: mensuremus ex hoc ipsius meritum, & cognoscemus magnitudinem Remuneracionis ipsius, id est, gloriæ, quam possidet in cœlo.

Deus Pater  
nihil mere-  
tur, sed  
Sanctissima  
Virgo me-  
ruit pro-  
ducendo Fi-  
lium suum  
Unigeni-  
tum.

DEUS Pater producit ipsum solus ex propria sua substantiâ, & Sanctissima Virgo etiam sola ex propria sua substantiâ producit ipsam: Sed DEVS Pater producit ipsum absque ullo merito, & Sanctissima Virgo ipsum producit maximo cum merito. Quare dicis, inquit, inquit ipsi, nihil mereri Patrem producendo ipsum? Ipse nihil meretur, respondet mihi Thrasylus, eòquod DEVS incapax sit alicujus Remuneracionis; & quia producit ipsum naturaliter & necessariò, nunquam habens in sua libertate, non dare ipsi totum suum esse: Ecce cur dicam, quod producat ipsum absque ullo merito: Verùm si per impossibile ipse meriti fuisset capax, certum est, infinitâ ratione ipsam fuisse merito-

rum, eòquod infiniti pretij conficeret opus.

Sed Sanctissima Virgo incapax non est meriti, eòquod DEVS non sit, nec incapax Remuneracionis. Quando igitur ipsa proprium suum producit Filium, qui objectum est omnium ipsius divinarum complacentiarum, ipsa magis placet illi, & consequenter plura meretur coram illo, quàm si creâset centies millenos mundos, & omnes mundos ipsemet DEO possibiles, eòquod hi omnes non sint nisi quid minimum ipsius oculis respectu Filij sui Unigeniti, quem Sanctissima Virgo quasi reprodicit ipsi: Sed quantum credendum est mereri ipsam per unicum hoc bonum opus? Justitia exigit, ut mereatur tantum, quantum id valet; Jam valor ipsius est infinitus, eòquod verè sit DEVS; concludendum igitur est, ipsam mereri infinitâ ratione.

Quantum  
Sanctissima  
Virgo me-  
ruit pro-  
ducendo  
Filium Deij.

Quomodo discutris? interrogavi ipsum: An ignoras, quod ad exantlandam actionem meritoriam, hæc esse debeat in liberâ dispositione voluntatis? siquidem in rebus necessarijs & naturalibus, non æstimamus nos invenire meritum, eòquod in his non detur libertas: Jam producere filium, non est opus, quod dependeat à voluntate liberâ Matris, sed dependet à naturâ, nec ipsa disponere potest circa illud pro voluntate sua: Cur igitur affirmas, tantum

Ttttr 2.

meri;

produ-  
ctum  
istum.

meritam fuisse Sanctissimam Virginem, dum facta est Mater Filii sui Unigeniti?

Mira libertas, quam contulit Deus Sanctissimæ Virgini, ut mereretur.

Prodigiorum omnium est maximum, respondit mihi, quod, ut redderetur magnum hoc opus meritum Sanctissimæ Virgini, inventerit Deus omnes leges naturæ, volueritque illud dependere à liberâ dispositione ipsius voluntatis quod est privilegium incomparabile, quo excellit cæteras omnes Matres: Ipsemet Deus Pater, qui est Omnipotens, liber non est, ad dandum esse Filio suo Unigenito; sed quia elegit Sanctissimam Virginem, ut esset Mater ipsius, conferre ipsi voluit stupendam hanc libertatem, ut novam esse Filij sui Unigeniti ita dependeret ab ipsius voluntate, ut expetierit & expectaverit consensum illius: hanc dare vel negare liberum ipsi fuit, & hoc, ut magnum hoc opus ipsi totum esset voluntarium, adeoque etiam infinitâ quasi ratione meritorium. O potentiam admirabilem voluntatis liberæ, Virginis Sanctissimæ, quæ transcendit Dominium Dei in omnes creaturas suas, eoque extendatur usque ad ipsum esse Dei! pondera hoc bene.

Quid sit potentia obedientialis creaturarum parentium miracula.

Admiramur in Deo potentiam quandam extraordinariam, quæ novit imperare creaturis, ut operentur res supra, vel etiam contra naturam suam; sic imperavit igni, ut refrigeraret tres pueros in for-

nace Babylonicâ; sic sapius imperavit mari, ut calcabile se præberet pedibus hominû, & inambulare sineret ipsos fluctibus suis: hæc virtus, quam confer Deus creaturis suis quæq; promptissimas ipsas reddit ad obediendû sibi, exigente occasione, contra propriam naturam, vocatur à Theologis potentia obedientialis: Hæc est, quæ facit illas admirabiles, omnesque extimulat ad vociferandum: Miraculum! miraculum!

Veniã an unquam resurgere clariùs conspecta fuit extraordinaria hæc Dei Omnipotentia, quàm in Sanctissimâ Virgine! Facultates ipsius naturales naturæ non erant ad obediendû ipsius voluntati: Exempli gratiã, facultates sentiendi, crescendi non dependent à libero arbitrio voluntatis, sed diti-guntur à necessitate secundum leges ordinarias naturæ; sed hæc habuerant potentiam quandam in Personâ ipsius, & omninò miraculosam, dum possedit ipsa Omnipotentiam Dei, quâ mandaret illis, ut obedirent & agerent supra vel contra naturâ suam, & facerent tot miracula, quotquot voluerat ipsa.

Siquidem ipsa voluit, & Virgineis ipsius uterus concepit, & pro-genuit Filium absq; concursu alterius sexûs: Nonne hic magnus potentia obedientialis sit effectus? Ipsa voluit, & purissima ipsius Concepto suppeditavit Corpus Verbo Incarnato, quia Virginalem suam per-

perderet integritatem. Nonne hoc prodigiosum sit opus potentie obedientialis? Ipsa voluit, & concepit absque voluptate carnali, ex operatione Spiritus Sancti, & exin peperit absque dolore. Nonne hæc ingentia potentie obedientialis sint prodigia? Tandem ipsa voluit liberè, & facta est Mater permanens Virgo, & Mater Dei, cum non nisi puta esset Creatura: quàm mira potentie obedientialis portenta! Et magnum miraculum, quod resultat ex omnibus hisce miraculis, velut ipsorum fructus, ipsorumque corona, est, quod omnia hæc bona opera, cum dependant à voluntate libera Sanctissime Virginis, tantorum fuerint meritorum, ut Animæ ipsius locupletissimum coacervarent thesaurum, cujus omnem solus Deus cognoscit valorem.

Hæc, Thrasilo mihi dicente, revolvebam animo Axioma quoddam Philosophicum, exploratum quidem mihi jam à teneris, sed cujus nunquam penetraveram vim ac virtutem: *Quod est causa causa, est causa causari*; id est, quod producit causam, producit etiam ejus effectus: Exempli gratià: Ille qui est Pater tui Patris, est etiam tuus; & ita desuper discurrebam mecum ipse. Juxta hoc axioma Sanctissima Virgo, quæ produxit JESUM Christum, qui est causa bonorum omnium, quibus fruuntur prædestinati, vere igitur etiam est cau-

sa omnium horum bonorum: considerabam ipsorum amplitudinem, excellentiam, & multitudinem innumeram in omnibus prædestinatis. Quanta bona opera! quanta sanctitas! quanta merita! quanta gloria, quæ repleverunt animas omnium Sanctorum, qui existerunt ab initio, qui existunt modo, & qui existent usque ad finem sæculorum! quàm innumera bona replent cælum & terram! unde oriuntur hæc omnia? certum est, hæc omnia oriri à JESU Christo; ipse causa universalis est omnium horum admirandorum effectuum. Jam Sanctissima Virgo est causa hujus causæ, ipsa igitur omnium horum effectuum quoque est causa: Quod est causa, causa, est causa causati. Bone Deus! Quanta sunt igitur ipsius divitiæ!

Returne denuò, si placet, regrediamur ad Sancti Thomæ dicentis, discernendum esse meritum è duobus: *Ex radice charitatis*, & ex claritate operis, id est, ex dignitate Personæ, & operis excellentià: Persona est Mater Dei, & præcipuum illius opus est Deus ipse. Si æstimare nòsses, uti oportet, quanti sit Mater Dei, & quanti Deus Incarnatus, cognosceres quoque magnitudinem meritorum Virginis Sanctissime. Sed utrumque, mihi inquires, est mihi impossibile; Verum est: Impossibile igitur mihi est, dices ulterius, nòsse, quanta sit magnitudo gloriæ ipsius, quæ

Studendum nobis, est quod comprehendere non possimus excellentiæ Sanctissime Virginis,

ex ipsius mensuratur meritis? Iterum verum est: si interrogas me; quid igitur lucrabor ex hoc? respondeo tibi, nihil nisi cognitionem & confessionem tuam ignorantia: contentus hanc esto; & si affligat te consolare te saltem, quod

noveris, tantum esse ipsam, ut tibi absolute sit incomprehensibilis. Ne intermittas tamen, si velis experiri tertiam quandam mensuram, ut videas, an plura comprehensus sis ex illa. Ecce tibi eam!

## ARGUMENTUM.

*Tertia mensura gloria Sanctissima Virginis est  
ipsius amor.*

### ARTICULUS IV.

¶ Esdræ 4.  
v. 5.

**I**lle, qui petebat ponderari sibi pondus ignis: *Pondera mihi pondus ignis*, probe noverat, res leves æquè habere pondus suum ac graves, pondusque non semper aliquam possidere gravitatem, eoque ignis, qui omnium Corporum est levissimus, suum habeat pondus, & etiam pondus maximum, quamvis omni careat gravitate. Est error vulgaris credere, pondus & gravitatem non esse nisi rem eandem: dicere quidem potes, quamlibet rem habere suum pondus, verum tamen non est, quamlibet rem, suam habere gravitatem.

¶ Aug. in Psal. 29.  
*Pondus est impetus cuiusque rei sonantis ad locum suum.*  
Sanctus Augustinus, omnium Patrum Ecclesie sapientissimus, nos eximit errore falsæ huius opinionis, dum dicit, quod pondus omnium rerum in mundo aliud non sit, quam inclinatio, quam creator contulit cuilibet creaturæ, ut cuius semper tendat ad proprium

suum centrum, ut occupet ordinem & locum sibi ab ipsius Providentiæ assignatum: & ideo scriptum est, quod *fecerit omnia, in numero, pondere, & mensura*: Numerus vult innuere, quod omnes sint dispositæ in bono quodam ordine, velut unitates in numero, quarum qualibet proprium suum locum tenet, quem mutare non potest: pondus significat, ipsas omnes forem habere inclinationem collocandi se in ordine suo, & occupandi proprium suum locum, quem tenere debent in numero operum Dei: Et mensura in sinuat nobis, ipsarum pondus esse ipsius mensuratum, juxta proportionem ordinis, qui ipsis servandus est: Ita lapis habet suum pondus, quo fertur in imum, & ignis habet suum pondus, quo fertur in altum; sed pondera ipsorum mensurata sunt illis; non enim oportet pondus lapidis tan-

Omnis habet pondus suum, & quid sit hoc pondus.

Pondus  
moris  
tri ergo  
Dei ac  
no  
plum:  
mor i  
ergo an  
mus no  
tabit  
precat

ta esse vehementiæ, quantæ est pondus ignis.

Ex veritate hæc naturali, quæ prorsus evidens est, attollit se magnus hic Doctor ad veritatem quandam supernaturalem: Anima mea, inquit, habet pondus suum, sicut omnes aliæ creaturæ, & quia ipsa omnibus creaturis corporalibus est nobilior, eodquod spiritalis sit, pondus etiam ipsius nobilior est & vehementius omnibus ponderibus, eodquod proportionatum sit ipsius nobilitati & loco, quo ferri ab ipso debet, ut sit in centro, quod est requies ipsius! Pondus animæ meæ est amor meus; ab hoc fertur & abripitur ad centrum suum: Et ubi ipsa invenit proprium suum centrum, nisi in solo Deo? siquidem Creator ipsius assignare illi noluit nec ordinem, nec locum inter creaturas, ut ipse solus esset proprium ipsius Centrum, & illa invenire non posset quietem nisi in illo; faciat ipsa, quidquid voluerit, vertat & conferat se quovis aliò, semper erit inquietudine & violentiâ extra ipsum.

Philosophi dicunt, quod sicut quælibet res suum pondus habet, quo feratur ad centrum suum, sic quodlibet centrum suas habeat illecebras, quibus eam attrahat ad se. Si hoc verum non esset, quantum ad cæteras creaturas, certissimum tamen est, quantum ad nostram animam; ipsa habet pon-

das suum, qui est amor ipsius, quo fertur ad Deum, velut ad centrum suum; sed divinum hoc centrum suas etiam habet illecebras, quæ fortiter attrahant ipsam, ut veniat & quiescat in illo; ipsa huc currit, huc volat, huc rapitur juxta vim ac robur ponderis sui; quod est amor ipsius, sed magis adhuc juxta potentes illecebras centri sui, quæ sunt gratiæ, quibus Deus ipsam prævenit, suaves blanditiæ, quibus ipsam sollicitat, & ardens amor, quo ipsam efficaciter ad se trahit.

Non poteram me cohibere; quin interpellarem hic loquentem, & ex abundantia cordis mei ipsi dicerem: Intellego bene Thrasile, jam clarè video, quò me deducere intendas: Verum est, nullum unquam pondus fuisse tam forte, tamque vehemens, sicut illud Animæ Sanctissimæ Virginis, eodquod nemo unquam tantum habuerit amoris: Et verum est quoque, nunquam centrum divinum, quo ipsa tanto cum impetu tendebat, adhibuisse tam potentes illecebras ad attrahendum aliquam animam ad se, sicut Animam hanc incomparabilem, quæ ardentius & fortius amabatur omnibus alijs: Sed quis effari nobis possit, quâ celeritate abrepta ipsa fuerit versus centrum suum, sicut & ad quàm sublimem elevationis gradum attracta fuerit ab amabilissimo centro suo, ut frui faceret ipsam quie-

ce

Mira vehementis ignis, quae tendit ad centrum suum.

te aeternam in proprio loco suo? Non astringam, inquit mihi, hoc tibi explanare; dicam tamen tibi, quod cum aliquoties cogitationem circa pondus ignis mente meam revolverem, id altissimas desuper ideas mihi insculpserit, quamvis tamen vel haec nihil sint respectu ejus, quod nosse velles. Pondus hujus Elementi facit ascendere id in altum tanto cum vigore, tanquam vehementi cum impetu, ut omnes naturae vires id impedire non valeant, quin evolet illuc ad inveniendum centrum suum: incassum constringes illud ergastulis ferreis & aereis, qualia sunt tormenta bellica; in vanum quoque obstrues carceris ipsius portam globis permagnis, maximisque ponderis; his enim non obstantibus erumpet, seque in libertatem affectet, ut ad suum avolet & evolet centrum; suum potius disrumpet ergastulum, quantumvis fortissimum, si illius non poterit aperire portam.

Frustra tumulabis illud subter terram, tumulumque ipsius obrues maximis quibusvis ponderibus; cohibere his omnibus non poteris invincibile robar pondus ipsius, quod reluctans in vanum quibuscunque obstaculis, semper tendere faciet illud in altum versus centrum suum: subvertet namque turres, ingentes dejiciet muros & propugnacula; durissimas & rigidissimas diffinget & conteret

petras, in frustra potius disrumpet clives ac montes; tandemque, quidquid accidat, impediri sibi nunquam pondus ipsius patietur libertatem suam, quin evolet in altum, ut tendat ad centrum suum: Et ignis inferni, qui conclusus est in centro terrae & infimo loco mundi, susque deique verteret universum orbem maximo sui ponderis robore, vi cujus attolleretur ad centrum suum, nisi manus Dei facta retineret ipsum, ut sit aeternum tormentum damnatorum, qui imitari ipsum noluerunt, id est, sicut ille, quaerere centrum suum, ad quiescendum in illo.

Quando considero tam superba prodigia, quae operatur pondus hoc ignis, dico intra me ipsum: Mi DEUS, si ignis materialis, qui non nisi est corpus tam infirmum ac imbecille, ut pauillo aquae extinguitur, nihilominus tam obfirmatus ac constans est in sequendo pondere suo naturali, ut nunquam ab eo impediri possit; & si tantum impetu is illud sequatur, ut nullum sit obstaculum in tota natura, quod non subvertat, ut tendere ad illud possit; quid ergo efficiet anima, si magnum habuerit pondus amoris erga Deum suum, quo abripiatur ad ipsum? Anima haec aeterna, & pondus hoc immensum ignis divini, quod illa circumferat in corde suo, quodque abripit cor ipsius versus centrum suum: Ubi sunt carceres, à quibus possit cohi-

Pulchra consideratio circa vim & impetum ponderis magis cuiusdam amoris Dei in animam

cohiberi? Ubi sunt onera, à quibus possit obrui? Ubi sunt obstacula, quæ non demoliantur ipsa, ad conferendum libertatem sibi sequendi pondus suum, & evolandi versùs centrum suum?

Loquere Magne Apostole, divinæ Sancte Paule, qui expertus es idipsum: *Quis nos separabit à Charitate Christi?* Sentit ipse in corde suo invincibile robat ponderis amoris, quò abripitur erga Deum suum, & provocat omnes totius universi potestates, ut se impediunt, ne tendat ad eam, ipsisque firmiter adhaereat: Exæstat is tanto ardore, ut non sit obstaculum, quod non evertat: Non est labor,

quem non sufferat, ut perpetuò in amabili hoc centro quiescat. Mors est terribilis, infernus est horrendus, omnes miseria vitæ humanæ sunt immanes, dolores contemptus, persecutiones, & omnes mundi calamitates sunt intolerabiles: Sed omnia hæc simul obruant & opprimant me, non tamen impediunt, quin ignis meus suas exhalet flammæ: Cordi meo est pondus suum, à quo abripietur semper versùs centrum suum, & irritò omni obstaculo licet invincibili, nil unquam impedit illud, quin dicat, quòd amet Deum suum ex omni vitæ suæ?

§. I.

*Consideratio moralis circa pondus ignis.*

Thrasilus, qui non nisi agrè ferebat tam longam interruptionem discursus sui, denudò loqui mihi cepit, & plura declarare de pondere ignis, me interrogans, an observaverim, quem successum habeat pondus ignis, quando affertur libertati, rumpens tanto cum impetu omnia obstacula à quibus impediatur sese attollere ad centrum suum? Quò is vadit? Aut in quid evadit? Horam nihil scio, dicebam ipsi, evanescit quantociùs ex aspectu, sed nescitur, quid fiat ex ipso, aut cum ipso non tamen annihilatur; sicut enim nulla res transire potest à nihilo ad esse, sic

R. P. Isaac Consultat, Tom. III.

reverti etiam non potest ab esse ad nihilum, nisi per omnipotentiam Dei. Unde ergo est, quòd non videatur amplius, præcipuè cum circumferat in se, & secum lumen, luménque tam visibile sit ex seipso, ut per illud videantur omnia.

Fortassis tam celeriter currit ad centrum suum, quòd esse creditur in concavo cæli lunæ, supra omnia alia elementa, ut quamvis lumine sit refertus, mox effugiat oculos, sicut accidit cum lumine fulgaris, distrumpentis nubem sese incarcerantem; id apparet, & dispersat, videtur & non videtur intra

Vuuuu instans

Rom. 8.  
p. 35.

chra  
sidera  
circa  
& im  
um  
ederis  
qui cu  
dam a  
ris Dei  
anion

Quid sit  
cum igne,  
dem trui  
re liberta  
tibus.

instans unicum; sic ignis libertati  
asserius apparet & disparet illico;  
volat in momento ad elementum  
suum, ubi invenit suam quietem,  
suamque felicitatem; & exin, cum  
amplius non queat, quod jam  
possidet, nihil amplius habet, quod  
agat in terris, adeoque ulterius se  
oculis nostris conspiciendum haud  
offert.

Quanto  
cum im-  
peru amor  
Sanctissi-  
mæ Virgi-  
nis sustule-  
rit ipsam  
ad centrum  
suum;

Hoc pondus ignis, subducens  
illum oculis nostris, novam ad-  
huc progignit in animo meo idem  
circa maximum pondus amo-  
ris in Animâ Sanctissimæ Virginis.  
O quam promptè divinus hic ig-  
nis abripiebat ipsam ad centrum  
suum? Non speremus, affectu-  
ros nos ipsam oculis nostris, ni-  
mis quam vadit celeriter; dum  
Anima ipsius corpori adhuc fuerat  
inclusa, videre erat ipsam cursu  
Gigantæo incedentem, ut ponè  
sequeretur & absque intermissione  
imitaretur JESUM Christum; sed  
in instanti, quo pondus ipsius se-  
paravit illam ab eo, ubi primum  
amor ipsius eduxerat Animam il-  
lius ex ergastulo corporis (erat e-  
nim hoc impetus amoris, & non  
violentia mortis) in instanti hoc  
pondus tam celeriter abripuit ip-  
sam ad centrum suum, ut dispa-  
ruerit omnium oculis creaturarum;  
sed abripuit ipsam tam sublimiter in  
possessionem divini hujus centri, id  
est, ut immergebat ipsam in profun-  
dissimâ abyssum infinitatû Dei ex-  
cellentiarum, ut in vanum quis ad-

nitatur assequi eam oculis, ad ob-  
servandum pondus sublimationis  
illius: Sublimior est ipsa sublimis-  
simarum Intelligentiarum aspectu;  
nec hæc unquam mentium suarum  
volatu pertingere ad eam possent.

Invanum igitur, dicebam Thra-  
silo, proponis amorem MARIÆ  
velut tertiam regulam ad dimeti-  
endum sublimitatem gloriæ ipsius,  
eòquod hæc minus adhuc cogno-  
sci possit per hanc, quam per duas  
alias; discurre enim adhuc aliqua-  
tenus potest de abundantia gratia-  
rum ipsius; institui adhuc potest  
sermo de meritorum illius excel-  
lentiâ: Sed quis ponderare pote-  
rit pondus ignis? *Pondera mihi  
ignis pondus*: Quis concipere ali-  
quid potest de magnitudine amo-  
ris ipsius? Siquidem dicere, ipsum  
solum transcendere omnem amo-  
rem cæterorum Sanctorum, id il-  
lius vix est contingere basim; di-  
cere, ipsum esse sublimiorem illo  
Angelorum, & Altissimorum Se-  
raphinorum in cælis, hoc non-  
dum est invenisse mensuram ejus,  
eòquod nemo non fateatur, ipsam  
transcendere hæc omnia.

Ita, exploratum est, ipsam hæc  
omnia superare, sed nôsse, quan-  
tùm illa superet, ne comprehende-  
re id contendas, nunquam enim  
illuc pertinges: Haud igitur scies,  
quanta sit mensura gloriæ ipsius,  
eòquod nescias, quanta amoris ip-  
sius sit mensura: Non, tertia hæc  
*mensura non magis inserviet mihi,*  
quam



quàm dux alia, ad cognoscendum  
illam; sed saltem inserviet mihi,  
ad ostendendum semper mihi cla-

rius, quòd id tentare sit impossibi-  
le, illamque omninò esse in-  
comprehensibilem.

## §. II.

*Fructus, quem haurire possumus, ex ha-  
ctenus dictis.*

Considera-  
tiones de-  
votæ & fer-  
vidæ, &c  
sepius ani-  
mo revol-  
venda.

Sed itane, mi DEVS, an igitur  
hoc totum exinde habebò, quòd  
sciam, me id non scire, & scire id  
non possim? Itane hæc cognitio  
tam obscura, tamque confusa exi-  
miæ gloriæ Sanctissimæ Virginis  
haud mihi relinquet aliud, nisi fa-  
stidium, quòd illam ignorem?  
An saltem non imprimet animo  
meo vehementem affectum, qui  
me excitet, meque extimulet ad  
desiderium tam ingentis felicitatis?  
Quid me impedit, quin abripi me  
patiar à pondere ipsius? Mi DE-  
US, tu contulisti animæ meæ pon-  
dus quoddam, sicut cæteris crea-  
turis tuis; video illas omnes, quòd  
se dirigi & deduci permittant à  
pondere naturali, quod receperunt  
à te, & sequendo hoc pondus se  
collocent in ordine, ubi illas vis  
esse collocatas; quando illæ hîc  
sunt, bene est illis, eòquòd sint in  
vero centro suo, ubi vis alibi malè  
est illis, eòquòd in statu existant  
violento.

Pondus animæ meæ est amor ip-  
sius; hic semper deducit illam,  
quocunque vadit. Sed qualem a-  
morem accepit ipsa à Creatore suo,  
ut sit pondus ipsius? Estne hic

amor creaturatum? Non, est pu-  
rus amor Creatoris sui; quamdiu  
abripi se sinit ab amabili hoc pon-  
dere, est in bono ordine, experi-  
tur & sentit bene, se esse in quiete;  
si impellatur aliò, jam rota est in  
confusione, sentit bene, turbatam  
se esse, & in statu violento, eòquòd  
sit extrà centrum suum; redeat il-  
luc, & mox contenta erit, eòquòd  
inventura sit quietem suam, quam  
perdiderat: *Minus ordinata inque-  
ta sunt: ordinentur, & quiescant.*

O mi Deus, exclamat desuper s. August.  
Sanctus Augustinus abreptus supra lib. 13. Con-  
mundum & seipsum, sublatus ab f. 11. c. 9.  
hoc pondere ipsum abripiente:  
Deus bone! quàm pretiosum est  
donum misericordiæ tuæ, quòd  
non dederis aliud pondus animæ  
meæ, ipsi proprium, quàm illud  
divini amoris tui; quòd ipsi non  
assignaveris aliud centrum, aliàm-  
que quietem, quàm teipsum,  
quòdque ubi vis alibi se inveniatur  
quietudine oppressam. O anima  
mea, vadent per te omnes alia  
creaturæ, quòd rapiuntur à ponde-  
re suo, tuum tu sequere, quod est  
amortuus; pondus tuum, ô ani-  
ma mea, non nisi ad amandum bo-

Vuuuu 2.                   aum

num abripere te potest: Sed quale bonum amandum tibi est & querendum ex totis viribus, nisi summum bonum? Pondus tuum est amor, & amor est ignis, & ignis tendere non potest nisi in altum.

Impossibile est, ignem unquam frigeri, extinguetur potius, quam toleret secum frigus. O mi DEUS! ne permittas ignem divini amoris tui unquam extingui in animâ meâ, & quia ipsi dedisti te ipsum, conserva te ipsum; conserva semper illum vehementer accensum, illumque semper accende magis: O ignis sancte, qui semper ardes, & nunquam extingueris! Adure animam meam, nec unquam dilabi permittas illam vel in frigus, vel in teporem.

O ignis æterne, tam diu durature, quamdiu Deus, flagrare me fac in æternum (Et quia dedit tibi Deus animam æternam, illa sit ergo pabulum tuum æternum, ut in æternum te conserves: Nonne vi-

des ignem inferni adurare in æternum animas sceleratas, ut illas cruciet ex irrevocabili sententiâ Justitiæ Dei? Ecce non in æternum tu adures animas innocentes, ut consolere illas suavissimo divinarum misericordiarum decreto?

O ignis totus amabilis, totusque desiderabilis, quam divinè illuminas! quam suaviter accendis! quam jucundè flagras; sed quam promptè attollis animas, ut illas firmiter affigas Deo! O utinam arderem ex te ignis sancte, quam dulciter ardes, quam serenè lucos, quam desideranter aduris!

Tota Consultatio hæc usque suum exoptato cursu tenuit progressum, loquendo duntaxat de gloria Animæ Sanctissimæ Virginis, in prima hæc Evangelij verba: *Intravit JESUS*; Sed Thrasilus mihi quædam loqui voluit de illâ sacratissimi ipsius Corporis in verba sequentia: *In quoddam Co; stellum.*

## ARGUMENTUM.

### *De Gloria Corporis Sanctissimæ Virginis.*

#### ARTICULUS V.

**N**on est quidem articulus fidei, quod Corpus Sanctissimæ Virginis sit modò gloriosum in cælis cum Animâ ipsius, est tamen doctrinæ Catholica, quæ sui defensores habet omnes Sanctos Patres, & nonnisi impios

& hæreticos sibi patitur adversarios. Est pia sententia, quæ tam certa habetur in Ecclesiâ, ut, qui auderet ipsam repudiare, vel solum vocare in dubium, amitteret nomen boni Catholici. Ex quo JESUS Christus intravit in Castellum MARIE, id

id est, in castissimum ipsius Corpus, quod est castellum; ipsius Animæ, auspiciatum castellum hoc, nulli subjacere debuit demolitioni, eoque quod honoratum fuerit tam magni hospitis præsentia & habitatione.

Castellum hoc Virginei Corporis MARIE fruebatur tribus magnis privilegijs, dum adhuc morabatur in terris. Siquidem imprimis erat inexpugnabile propugnaculum ac munimentum Principi tenebrarum, & inaccessibile omni peccato. Secundò erat Templum, ita dedicatum, totumque consecratum soli Deo, ut nunquam serviret nisi honori & gloriæ ipsius. Tertio, quod plus est his omnibus, erat cælum animatum, & amœnus paradysus Dei: Nunquam

aliquod Corpus humanum, excepto Corpore JESU Christi, accepit ullum ex his privilegijs; Et omnia tria misericordè quoque contulerunt ad gloriam Triumphi ipsius, in die Assumptionis illius in cælum.

Imprimis invincibile hoc munimentum peccato, invincibile semper permansit putredini & corruptioni, quæ funestus peccati effectus est. Secundò Templum hoc sacratum, & soli gloriæ Dei dedicatum decorari meruit ornamentis gloriæ immortalis. Tertio amœnus hic Dei paradysus in terris, associatus est amœno paradiso Dei in cælis. Si bene consideres hæc omnia, mox judicabis, nihil abjeû cogitandum esse de gloria Corporis Virginis Sanctissimæ.

\* \*

§. I.

De Incorruptibilitate & sublimatione Corporis Sanctissimæ Virginis.

ERat egregium Dei consiliû, quando formare voluit hominem ad imaginem suam, conferre ipsi animam immortalem; Et quia hæc nobilissima est creatura, voluit ædificare ipsi palatium velut cuiusdam Regiæ: Palatium hoc erat Corpus ipsius, quod dedit ipsi omni instructum suppellectili, quodque etiam locupletare voluit pretioso gratiæ suæ thesauro: In hoc statu ipsa vivere merebatur, & reipsa habebat, unde viveret cum hono-

re, & perpetuè honoratam se conservaret ac beatam: Nunquam experta fuisset ipsa, quid esset mors, quidque omnes vitæ humanæ calamitates; non declarat ipsi nisi unicum; Et est, quod non esset irapeccabilis: Non nisi ex hac parte sibi metuendum, cavendumque habebat; Ex hac enim solu modo ipsam mors poterat obruere, illamque cunctis subicere iniurijs, quas postmodum est experta.

Et sapè quamprimum homo  
Vuuu; pecca-

Vita eximia privilegia corporis Sanctissimæ Virginis,

Anima innocens prius hominis erat velut Regiæ in palatio suo; quando peccavit, fuit condemnata ad mortem, & castellum ipsius devotum fuit.

Gen. 3.

peccavit, anima ipsius immortalis (pulchra hæc Dei imago) condemnata fuit ad mortem æternam; Regina hæc dejecta est honore, & castellum ipsius condemnatum fuit, ut æquaretur solo, & redigeretur in pulverem: *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris*: Et exin omnes homines, qui obnoxierant alicui peccato, subito debuerunt huius rigorem sententiæ, quin exciperetur vel unicus: Non nisi unica persona fuit in totâ specie humanâ, quæ ex privilegio, cui nulum suffragatur exemplum (eò quòd præservata fuerit ab omni genere peccati) rigorosæ huius sententiæ non fuit subjecta: Et hæc est Sanctissima Virgo, à quâ procul abfuit hæc infelicitas, eò quòd prædestinata fuerit, ut esset Mater Dei, quæ infinitâ ratione aliena est à peccato.

Ipsa sola comprehensa non fuit condensatione hæc universalis; Siquidem ipsius anima condemnata non erat ad mortem æternam; Et ut verum dicam, ipsa mortua non est morte temporali; eò quòd id, quod nuncupatur mors in alijs, non fuit pro illâ nisi suavis & pacificus somnus, absque violentiâ vel dolore: Obdormivit ipsa in Domino, sicut loquuntur Sancti Patres, nec castellum ipsius excisum fuit; ipsius enim Corpus expoliatum non fuit nec devastatum à crudelitate mortis, sicut corpora omnium Peccatorum; sicut putredinis, nec

vermes, nec omnes funestæ mortis reliquiæ, ullum unquam habere ad illud accessum; acceperat ipsa à Deo Corpus in integritate, in innocentia, in puritate Virginali; ipsa denuò id consignavit manibus ipsius tale, quale acceperat: Et ideo Sanctus Joannes Damascenus Sanctissimam hanc Virginem loquentem introducit his verbis:

Reddo tibi, mi Deus, & depo- Puleher discursus Sancti Joannis Damasceni in favorem Corporis Sanctissimæ Virginis.  
no in manus tuas Corpus, quod dedisti mihi, non trado illud terræ, cuius non est id consumendi; terra hoc palatium, in quo novem mensibus dignatus es personaliter habitare; quando nati voluisti ex eo, conservasti ipsi semper integritatem & puritatem suam Virginalem, ne permittas id modò corrumpi. Quando venisti ad me, recepi te lubens in palatio meo, modò dum venio ad te, ita me recipere in tuo: an relinques hoc Corpus tibi tam clarum in sepulchro? Quid esset, si conquerendum mihi foret cum Regio Vate: *DEUS Psal. 78. venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum Sanctuarium tuum.*

Vide Domine, quomodo Templum Sanctum tuum in honoretur; aspice, devotari id à vermibus, abjectissima & immundissima animalcula occupasse hereditatem tuam; Vide, quomodo desolentur, & indignâ ratione profanent Sanctuarium tuum; deplorandum considera statum, in quem devenit

Arca

Arca Sanctificationis tuæ, sepulta in corde terræ, repleta immunditijs, & calcata pedibus hominum. Qui nōrunt, quanta fuerit gloria veri Virginei, progredientis te ex propriâ suâ substantiâ; quantus fuerit honor ac felicitas harum manuum, quæ toties contrectarunt te; tibi que tam diuturna impenderunt servitia; quàm admirandæ horum vberum, quæ lactarunt te, fuerint prerogativæ, sicut & labiorum, quibus toties auspiciata fors obtigit, sacratissimam tuam exoscilandi faciem; videntes hoc corpus, has manus, hæc vbera, carnem hanc Virgineam, dari in prædam mortis & escam vermium, ingemiscent præ dolore, & summâ perculsi admiratione, lacrymantibus interrogabunt oculis: An igitur ejusmodi in statum redigatur Mater Dei? Tolerandum est, funestam hanc videri desolationem in corporibus omnium peccatorum, edquod sit æquissimum consignari illa cunctis humiliationibus, cunctisque crudelitibus mortis; sed dum sermo est de Matre Dei, an ipsa non discernatur ab inimicis suis?

An nunquam ponderasti mysterium sub his verbis Sacri Epithalamij absconditum: *Pone me, ut signaculum super Cor tuum, quia fortis est, ut mors dilectio*: Non videtur bona & rationi congrua esse conjunctio in hisce verbis. Si faceret Amans diceret, vel potius dici

faceret Amata suæ: Tuâ statue insignia supra tui portam palatij ad ostendendum, spectare illud ad te; imprime sigillum tuum supra Cor meum, ut omnes videant, te esse illius Dominum; Vel ob signa cor meum, illudque claude perquam sollicitè, ne alius, quàm amor tuus huc intret; hoc bonum esset: sed quæ connexio inter hæc verba: *Pone signaculum tuum super Cor meum, quia fortis est ut mors dilectio*? nisi dicere velit; pone te velut præsidium penes cor meum, ad cohibendum mortem ne invadat me; potentia amoris relinque solùm Cor meum, is bene noverit separare Corpus meum ab animâ meâ; velut mors enim ipse est fortis.

Telum mortis tam est venenatum, ut plagæ, quibus fauciat corpus, mox illud corrumpant; verum si non nisi sagittis amoris vulneretur, id tam pretiosum est balsamum, ut reddat illud incorruptibile. Cum igitur nihil funestum acciderit Corpori Sanctissimæ Virginis, nec peccatum, nec mors, nec corruptio, nec alius tragicorâ effectuum ex morte & peccato dimanantium, æquum non erat, ut remaneret in terris, eâ in humiliatione, in quâ manent corpora peccatorum; dignissimum id erat cælo, sed terra ipso non erat digna.

Sic Ecclesia applaudens gloriæ S. Joas. Da triumpho ipsius, in die Assumptio-

nis

Sanctissima Virgo est palatium clausum morti, solùm autem apertura amoris.

Mors corrumpit sed amor redit incorruptibilem.

2. de Dor-  
mip. B. M. V.

nis ejus cantat ubivis terrarum, pulcherrima illa sancti Joannis Damasceni verba: *Medis sacra & animata Arca DEI viventis, quam suum in utero concepit Creatorem, requiescit in Templo Domini; cumque esset animatum caelum, in caelestibus tabernaculis collocatur.* Sed ô Deus, quis effari poterit, quanto recepta sit cum honore? Quantum hic major est illo, qui exhibitus est Arcae foederis, quando totus Israël congregavit se à Rege usque ad novissimum populi, ad deducendum illam cum gaudio, & ingenti cum magnificentia è domo Obededom, usque ad locum magis honorificum, in manimentum & civitatem David? Ecce majorem tibi absque coasparatione.

2. Reg. 6.

Siquidem plures Sancti Patres, magnificentum introitum Sanctissimæ Virginis in caelum, cum Corpore & Anima, describentes, affirmant, receptam fuisse ipsam inter medias acclamationes ac jubilos totius Curie cœlestis, à JESU Christo usque ad novissimum Angelorum ac Beatorum; & inter alios Cardinalis Sanctus Petrus Damiani nobis hæc ratione id explanat: *Filius ipse cum totâ Curia tam Angelorum, quam justorum solemniter occurrens, evexit eam ad beata Consistorium sessionis.* Verum hoc non nisi est initium ac præludium triumphi ipsius; accipe, quæ sequuntur, quæ longè sunt pulchriora.

\* \* \*

## §. II.

## De gloriosis prerogativis Corporis Sanctissimæ Virginis.

Corpus  
Sanctissimæ  
Virginis su-  
perat ipsius  
Animam.

CONSIDERA cum admiratione prerogativam, quæ Corpus ipsius extollit supra ipsius animam; siquidem ipsius Anima concipere non potest nisi cogitationem de Deo, & Corpus ipsius propriam illius concipit substantiam; Ipsius Anima facere non potest, nisi quod faciunt Angeli in caelo, sed Corpus ipsius Virgineum facit, quod facit ipsemet Deus Pater: Ambo producant eandem personam Divinam; Et Pater Virgo, & Mater Virgo; Sed Pater, qui purus est

Spiritus, & Mater, quæ habet Corpus humanum, quod nullatenus est Spiritus; Et Corpus hoc nihilominus concipit & producit eandem personam, quam Spiritus Omnipotens DEI. Inveni Corpus Sanctissimæ Virginis associatum gloriæ infinitæ Dei Patris, eoque, ut ambo & singuli producant eandem secundam adorandæ Trinitatis personam; quàm stupendum prodigium, quod comprehendi poterit nunquam ab aliâ quâ creaturâ!

© Cori

Sanctissima  
virgo possi-  
det digni-  
tatem Ma-  
tris Dei per  
Corpus  
suum, &  
non per  
animam  
sua.

O Corpus Virgineum MARIE, magis gloriosum, magisque Beatum in hoc, ipsius Anima: siquidem ipsius Anima nihil dedit ex sua substantia Filio DEI; sed Corpus ipsius propria substantia sua vestivit illum; ipsius Anima non produxit Animam; sed Corpus ipsius Virgineum produxit Corpus adorandum JESU Christi: Ipsius Anima non replevit thesauros Dei, aliquas ipsi suppeditans divitias, quas non habuerit à seipso; sed Corpus ipsius replevit venas Salvatoris pretioso sanguine, quem effudit in Cruce, ceu pretium salutis nostræ: Tandem Corpus Sanctissimæ Virginis tam ingenti excellit prærogativâ ipsius Animam, ut per Corpus suum, & non per Animam suam possideat incomparabilem dignitatem Matris DEI. Si igitur tam sublimem gloriæ gradum obtinuisse credimus ipsius Animam in cælo, quid judicandum sit de ipsius Corpore?

Corpus fan-  
tissimum  
Virginitatis  
primus Pa-  
radisus Dei  
nobilitate  
cælo hinc  
proco.

Neque id adhuc satis est, siquidem agnoscere debemus, utrum ipsius Virgineum fuisse primum Paradisum, ubi DEVS ostenderit se in gloria sua, & ubi Beatorum primus clarè inceperit aspicere Essentiam DEI. Nonne enim verum est primum Beatorum esse Jesum Christum? Ita procul dubio. Nonne verum quodque est, quod in ipso instanti, quo conceptus est, & fuit Filius DEI, constitutus fuerit in Paradiso, ubi Anima ipsius

Essentiam DEI clarè aspexerit? Hoc omninò certum est: Hæc ubi degustare incepit delicias huius Paradisi? Nonne in utero Matris suæ? in instanti, quo huc intravit, intravit Paradisum gloriæ suæ; Corpus igitur Sanctissimæ Virginis est verè Paradisus DEI: Verè igitur est cælum, uti nuncupavit illud sanctus Joannes Damascenus, & undè optimè concludit, æquum non esse, ut moraretur in terris, sed collocandum omninò fuisse in cælis: *Cum esset animatum cælum, in celestibus tabernaculis collocatur.* Dicendum insuper est, non recepisse id tantum honoris à cælo, quod animatum non est, quantum cælum recepit ab ipso, quod cælum est animatum.

Quid desuper inquit Cor-  
strum, nonne totum repletur gau-  
dio, tam jucundas intelligens ve-  
ritates? O mi Deus! Quantum so-  
larium miseris nobis mortalibus,  
nōsse, quod Pater noster & Mater  
nostra, JESUS & MARIA sint si-  
mul in cælo, Corpore & Animâ; quod ambo omnem amoris sui e-  
collocent abundantiam, ut no-  
stram pro æternitate promoveant,  
attollantque in sublime fortunam;  
quod ambo nostra sibi commoda  
habeant cordi, quod nostras de-  
fendent causas, & maximâ cum  
fidelitate tractent magnum nostræ  
negotium salutis. Dilectus Disci-  
pulus Sanctus Joannes nos monet,  
nobisque ceu fideli articulum tra-

S. Joann.  
Damascen-  
nus.

Gaudium  
animæ de-  
votè consi-  
derantis,  
quod JE-  
sus Chri-  
stus, &  
Sanctissima  
ipsius Mater  
sint in cælo  
corpore &  
animâ.

1. Jo. 1. 2.  
v. 1.

dit, quod habeamus in personâ JESU Christi potentem & fidelem Advocatum apud Patrem suum, qui incessanter loquatur ipsi in favorem & emolumentum nostrum: *Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum.* Hinc cum reliquisset hic nobis in tertis solùm ubera sua, ad nutriendam nos substantia suâ velut parvulos infantes (ita nuncupo Sanctissimam Eucharistiam) reversus est in Curiam cœlestem ad patrem suum, ibique coram semper assistit Corpore & Animâ: Ibi adorandum ipsius Corpus in magnitudine suâ naturali non habet solummodo os unicum ad interpellandam pro nobis, sed omnia ipsius Vulnera, quæ amore nostri suscepit, totidem aperta sunt ora, & sanguis ipsius illorum vox est, & hæc omnia efficaciter loquuntur in bonum nostrum: quanta fiducia pro nobis, quamque solidum solatium!

Quomodo  
Sanctissima  
Virgo ad-  
vocet pro  
nobis in cœ-  
lo.

Et Sanctus Bernardus asserit nobis, quod habeamus similiter Advocatam amantissimam in Personâ Sanctissimæ Virginis, quæ maximâ solitudine interpellat pro nobis. Conveniebat equidem pro ingenti nostrâ felicitate, ipsam esse in cœlo Corpore & Animâ, uti est JESUS Christus, ut ipsa haberet sicut ille plura ora ad loquendum pro bono nostro. Ipsa habet uterum suum & ubera sua, quæ voce loquuntur suavissimâ; laudant illa Filium Dei in infantia

suâ, ad eaque lactis induunt vocem; Et hæc omnia validè advocant pro commodo nostro: Vulnera Filii cum voce sanguinis sui, ubera Matris cum voce lactis sui, mirificè concordant, & jucundum conciliant in cœlo concentum, qui oblectet Filium Dei, ipsum emolliat, ipsum demulceat, ipsumque lucretur pro nobis.

Nescio, an omnes hæc voces duos constituant Choros ad respondendum sibi invicem, sicut fit in Musica, scio tamè illas perfectissimè inter se concordare, & non nisi ex uno procedere corde. Bone Deus! quam solidum fiduciæ meæ fundamentum, quam dulce pro nobis solatium, nôsse habere nos Patrem talem, talémque Matrem in cœlo, & Corpore & Animâ; & non solum ipsorum Animas, sed etiam ipsorum Corpora incessanter occupari ad promovendum maximum æternæ salutis nostræ negotium! Ita hoc tantum non est pro particularibus ipsorum commodis; hoc tantum non est pro utilitatibus fratrum nostrorum, qui lucrati sunt causam suam, jamque possident suæ coronam gloriæ; sed potissimum id est pro nobis miseris, qui incerti adhuc sumus sortis nostræ, qui remanemus semper adhuc captivi in ergastulo corporis hujus mortalis obscuro & obfirmato, onerati pluribus sceleribus, quorum nondum decisa est causa, nec pronuntiata adhuc senten-

Est potissimum pro nobis, quod JESUS & MARIA advocent in cœlo.

Oratio a  
S. Hieronimo  
Christus  
& sancti  
nam Vir  
122.



rentia: Et idè pro nobis advocant perpetuo!

Age, si timendum habeamus nobis ex parte nostrâ, eòquòd reipsâ culpabiles omnes simus, nec habeamus, unde nosmetipsos purgemus & excusemus, sperandum animò nobis est in potentes Advocatos nostros, ob maximam, quâ apud supremum Judicem polleat, auctoritatem; ac credendum, ipsos nostram acturos causam, velut propriam suam. Hæc quid depondeamus, quid cademus animò in maximis calamitatibus nostris!

Novi, quâ ratione mihi sint invocandi; quoties attollam cælum oculis, ex intimo cordis dignam ad ipsos affectuosa hæc verba: *Pater noster, qui es in cælis, Adveniat regnum tuum: Adorande mi Pater, qui Omnipotens es in cælo, an perire sinas infelicem filium tuum reptantem hîc in terris? an sacratissima vûnera tua efficaciter non advocabunt, ad obtinendum illi regnum tuum? si tam humiliter, tamque cordialiter locutus fuero ipsi, vix erit, quin anima mea sit emollienda, ac tota animanda filiali quâdam fiducia.*

Verùm si exerior Cor meum dejectum adhuc, obduratum & pullamine, convertere me possunt

ad Sanctissimam Virginem, ipsique dicere fiducialiter: *Mater nostra, que es in cælis: Amabilissima Mater mea, quam corpore & Animâ credo esse in cælo, misere-te pauperrimi & infirmissimi Filii tui; fac loquatur pro ipso Cor tuum, uterus tuus, & sacratissima ubera tua, ad impetrandum illi, quod possides, regnum. Ah! tu non nisi dulcedo es, nullos tua bonitas habet limites, effunde illam liberaliter super me miserum, & memineris esse te Matrem Misericordiam.*

Hæc Consultatio, quamvis longa, mihi non satisfecit; volo dicere, quòd, licet attulerit mihi solatium, non tamen omninò meam sedaverit famem; manebam enim magis famelicus, magisque cupidus quàm antea, audiendi facientem verba de magnificentiis Sanctissimæ Virginis in Assumptione ipsius: Hinc dicebam Thrasilo, velut acturus gratias pro solatio mihi impenso, id, quod dixerunt illi ex Arcopago, Sancto Apeftolo Paulo: *Audiamus te de hoc iterum: instanter obsecrans ipsum, ut daret mihi adhuc aliquas horas sui colloquij circa objectum tam eximium; promisit id mihi, quod & fecit in sequenti Consultatione.*

tatione.

\* \* \*



Xxxxx 2

CON:

Oratio ad  
Schola ad  
Iesu  
Christum,  
& sanctissimam  
Virginem.